



SCAFFALI ONLINE  
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

Regoli, Sebastiano

*Oratio habita in Academia Bononiensi 3. Non. Nouemb. 1563,*

Bononiae : ex typographia Ioannis Rubrii, in Via S. Mammoli, 1563

Collocazione: 17-SC.LETT ARCHIGINNAS. F 04, 005

<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO2889006T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0:http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: [archiginnasio@comune.bologna.it](mailto:archiginnasio@comune.bologna.it)

SEBASTIANI REGVLI  
Brafichellensis

ORATIO

HABITA IN ACADEMIA BONONIENSI

III. NON. NOVEMB. MDLXIII.



DEMISSVS



C O E L O

A B A L T O .

B O N O N I A E,

Ex Typographia IOANNIS Rubrii, in Via  
S. Mammoli. M D L X I I I .

SEBASTIANI REGALI

Braschellensis

ORATIO

HABITA IN ACADEMIA BONONIENSIS  
III. NON. NOVEMB. MDCLXXIII.



DEMISSAE

AB ACADEMIA

COEPTO

BONONIAE

Ex Typographia Iohannis Lupatini in Via  
S. Petri ad Vincula. MDCLXXIII.

# Sebastiani Reguli Oratio.



**V**M nihil sit homini honesta sine aliqua ratione uel suscipiendum, uel susceptum persequendum, & de nobis benemeritis hominibus in primis gratiae sint agenda, ego, auditores nobilissimi, duo maxime necessaria officia mihi primum omnium uideo nunc esse praestanda:

unum, ut mutatae mihi publice docendi horae rationem uobis breuiter reddam, alterum, ut me, uosque simul ab ingrati animi criminis suspitione prorsus liberem, id est, ut meo, uestroque omnium nomine, quas possum, nouae Academiae auctoribus, & perfectioribus partim praesentibus, partim absentibus gratias agam: quorum alterum cum, sine magno scelere, alterum sine stultitiae nomine a me praetermitti non posse uideatis, me de utroque breuiter dicentem, benignè quaeso, attenteque audiatis.

**M**AGNA res est, auditores, magna uirtus, & maximum homini bonum obedientia, in qua uetus omnis, nouaque philosophia uersatur. Nam sapientia omnis diuina, & humana in hoc maxime laborat, ut motus animi rationi pareant, neue hac, & illac more ferarum sine custode uagentur, & omnia quae in terris, quaeque in caelis mouentur, in officio contineantur. cuius utilitas, ac uis tanta est, ut nullum uitae genus, nulla hominum actiones, modo honestatem sequantur, nulla societas, amicitia nulla, coniu-

Etio uel temporis punctum durare possunt. Nam, principio natura hominum generi optimè consulens communi quodam uinculo, quæ humanitas appellatur, homines inter se se colligauit, ex quo factum est, ut homines primò in agris degentes uasta sibi intra effoderint, humiles casas extruxerint, ubi æstus, frigora, & aeris intemperiem uitarent, deinde domos, et uicos ædificarint, postremò oppida et urbes condiderint, leges tulerint, ut conuentus hominũ, quæ ciuitates appellatur, quibus nihil Deo Opt. Max. in terris est gratius, inter se celebrare possent: Verũ hæc omnia tantopere sibi necessaria, tanto sibi labore, ac studio comparata nec stare diu, nec crescere posse uiderunt, nisi adesset inter ipsos obedientia, quæ omnes in officio contineret, efficeretq̃, ut animus à natura benè institutus honesta præcipienti obedire, sacrosanctis legibus obtemperare uellet, ex quo et si maximam huius uirtutis rationem esse habendam satis superq̃, probatur, sapientum tamen aliquot uirorum auctoritate id plurius ostendere conabor. Solon ille inter septem Græciæ sapientes connumeratus aliquando interrogatus qua ratione salua ciuitas esse posset, respondit, si ciues obediant suis magistratibus, magistratus uerò legibus: Et Zeno magni nominis philosophus præclarissimam Aesiodi sententiam ad uim obedientiæ declarandam inuertere sic solebat,

Κείνος μὲν πάντα ἴστος, ὃς ἰκετόν τι πίθηται  
ἴστος δὲ κακὸς ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.

Cuius rei hanc reddebat causam, quòd qui omnia per se nouit, nihil habeat, præter rerum cognitionem, at qui rectè monenti paret, præter intelligentiam, effectum quoque præstet, nam is pa-

rere

tere dicitur, qui quod optimum factu esse dicitur, id re ipsa præstare conatur & sanctissimus ille, planeq̃, diuinus Hebræorum uates legem tulit, ut filium patris dicto minùs audientem populus lapidibus obrueret. quæ quidem pœna & si quis parenti uim attulisset, iniquior tamen uideri potuit: in puniendis enim criminibus, ne pœna sit maior, quàm culpa, in primis est cauendum. Verũ hac lege nobis significatum uoluit contumacia obedientiæ ad uersaria nullam esse ciuitatibus pestem capitalem. Quid illa lege durius non ab immanibus Barbaris, sed à mitibus Romanis lata, & seruata constanter? Niles qui extra ordinem cum hoste manus conseruerit, securi percutitor: unde T. Manlius filium iniussu suo cum hoste congressum, uictorem, hostium spoliis honoratum ad se redeuntem securi feriendum iussit. Vna hæc uirtus fuit auditores mutandæ mihi horæ causa: quandoquidem clarissimi huius ciuitatis principes, & Academiæ præfècti ita mandarunt, quorum mandatis non parere, non morem gerere uoluntati, cum nefas esse duxi, tum mihi integrum nullo modo fuit, hac enim lege hunc locum mihi dederant, ut quancumque ipsi uellent, alteri cederem, cum præfèctum, quem mihi publicè docendi locum decreuerunt, eum ante me doctissimi, & clarissimi uiri tenuerint. & ego huius alinæ ciuitatis principibus omnia debeam, à quibus plurima, maximaq̃, in me sunt profecta officia, atq; merita, extant quoque huius sapientissimi senatus, & ciuium, & publicè, & priuatim liberalitatis, beneficentiæ, ac beneuolentiæ certissima signa: quorum unum illud maximum, maximiq̃, faciendum puto, quòd superioribus proximis diebus omnibus omnium senatorum suffra-

giis

giis auctum est mihi laboris, ac industriae meae praemium, idque  
quam diu uiuam mihi attributum: omitto quod idem ante sepe  
fecerunt, quod me in ciuium suorum numerum retulerunt, quod  
me immunitate donarunt. Pro quibus tot, ac tantis beneficiis me il  
lis ita deuinctum esse, & sentio, & uolo, ut nihil mihi maiori curae  
debeat esse, quam illorum commodis pro uiribus meis inseruire, il  
lorum uoluntati quibuscumque rebus possim, obedire: hic taceo, quod  
hac ratione uestrae, auditores, utilitati melius erit consultum. Nam  
cum matutinum tempus muneri publico dedero, omnes pomeri  
dianas horas in uos priuatim docendo libenter ponam: Quid? quod  
hoc modo principum ciuitatis, quos plurimi facio gratiam, ac bene  
uolentiam triginta annorum spacio mihi paulatim collectam non modo  
mihi conseruabo, sed non mediocriter etiam augebo: cum illorum li  
beris edocedis post hac, quam antea, commodius multo operam dare  
potero. Habetis auditores mutatae mihi mei muneris horae rationem  
si uobis minus probatam, at ueram tamen, & iustam, et debitam,  
& maxime necessariam: Reliquum est, ut de Academiae exae  
dificatione, grati in tanti operis authores declarandi animi cau  
sa, dicam, in quo si pro rei magnitudine, personarum dignitate, lo  
ci amplitudine, conficiendi celeritate parum cumulatè susceptum  
munus praestare uidebor, quaeso uos, ac obtestor, ne id natu  
rae meae potius, quam ipsius rei magnitudini tribuendum pute  
tis: quae enim tanta potest existere ubertas ingenii? quae tanta di  
cendi copia? quod tam diuinum, atque incredibile orationis ge  
nus? quo quisquam possit tantum opus tam praclarum, tam am  
plum, tam augustum tam celebri loco extructum tot, tantorumque  
uirorum

uirorum consilio susceptum, tot egregiorum artificum manibus ela  
boratum, industria perfectum, incredibili celeritate ad summum per  
ductum, non Mercurii, non Apollinis, non Minerae, ut stulta  
credidit ueterum superstitio, sed doctissimorum uirorum, studio  
sissimorum iuuenum, uerae sapientiae, ac Dei Opt. Max. domici  
lium, non dicam laudando extollere, sed uerbis aliquo modo expli  
care? Cuius area est lata, plana, longa, quadrata insulae penè for  
mam referens, amplis porticibus circumdata, in quibus citra  
ullam hyeme aeris, estate solis iniuriam, quocumque tempore, sine  
ullo cuiusquam impedimento, sine strepitu, doctores, & discipuli  
possint, & animi relaxandi gratia, & ualeitudinis tuendae causa  
uel stantes, ueterum stoicorum, uel deambulantes Peripaterico  
rum more disputare. Superficies interior undique habet porticus  
duplices, inferiores scilicet, ac superiores, altas latas, amplas,  
longas, fornicatas, quae columnis quadrato de marmore factis su  
stinentur, exterior, quae spectat ad occidentem, tantum in lon  
gum porrigitur, quantum uix quisquam possit oculis contendere,  
mira columnarum porticus inferiores sustentium collocatione,  
admirabilis altitudine, crassitudine firmissima, fenestrarum or  
dine uenusta, latitudine illustris, aspectu iucunda, ornatu decora  
lapidibus arte laboratis pulcherrima, signis ornata. Parietes à  
fundamentis calce, lateribus, bitumine, & ea materia sunt extru  
cti, quam non aestus, non frigora, non uentorum impetus, non im  
brum uis, non temporum uicissitudines, non caeli iniuria, non ulla  
denique ueustas possit, non dicam abolere, sed ne tantulum quidem  
laedere: Decem & octo sunt auditoria ea forma extructa, quae à  
Graecis

Græcis τετρας dicitur, quæ omnium pulcherrima, omnium fir-  
missima, omnium perfectissima iudicatur, quæ symbolum uirtu-  
tis esse creditur, per quam iurabant Pythagorei, ac ut numen co-  
lebant: sapienter me hercule, & diuino planè consilio in hanc for-  
mam ædificata esse puto auditoria: ubi enim uirtutes omnes sunt  
docendi adolescentes, ubi nullus nisi de uirtutibus sermo est haben-  
dus, ubi sapientia ipsa est habitatura, ibi ad sapientiæ, ac uirtutis  
formam ædes sunt extruendæ. Quid de atrii amplitudine, & al-  
titudine, quid de superbis dicam postibus nobilissimæ orbis terra-  
rum Academiæ planè conuenientibus? pro quibus P I E I I I I .  
Pontificis Max. CAROLI Bonromei legati P E T R I D O  
NATI CAESII S. P. Q. B. insignia sunt uiuo saxo ad per-  
petuam illorum memoriam, & gloriam sempiternam incisa, om-  
nium liberalium artium instrumenta, & symbola sunt in marmo-  
reis lapidibus miro quodammodo insculpta, ut uel primo aspe-  
ctu, ingredientibus, & egredientibus admoneantur has esse ueræ sapien-  
tiæ sanctissimas ædes clarissimorum artificum manibus, summorum  
uirorum, amplissimorum Antistitum, maximi Pontificis consilio,  
et autoritate inchoatas, atque perfectas, quæ regiam dignitatem,  
imperatoriam maiestatem, magnificentiam Bononiensis Aca-  
demiæ nomine dignam præ se ferunt, intuentibus admirationem  
pariunt, tanti operis autoribus laudem immortalem, huic urbi de-  
cus æternum comparant. In aduersa foribus Academiæ fronte  
Ædes est Diuæ uirgini seruatoris nostri D E I Genitrici dica-  
ta, ubi quotidie rem diuinam facit ad id delectus sacerdos: hæc  
ingredientibus ostendit totum hoc opus D E O duce, & auspice  
factum

factum esse, sapientiam querentibus primum D E I ueri cultum  
esse querendum, impios & profanos procul hinc esse abigendos.  
Ab extremis uero atrii porticibus in superiores duæ surgunt sca-  
le una dexteræ, sinistra alteræ, quæ, cum ipsarum amplitudine,  
tum graduum uno de lapide excisorum latitudine, coherentia, æ-  
qualitate, ingredientibus, et egredientibus facilem ascensum, & de-  
scensum præbent: inde in summam ædium partem tecto proxi-  
mam, quæ in huiusmodi ædificiis nulli esse solet usui, aliis scalis a-  
scenditur. ibi horrea publica sunt facta, tam longa, tam lata, quan-  
ta est Academia tota, quæ tantum frumenti numerum capiunt, quod  
non inopis modo plebeculæ inopiæ, et maleuadæ famem, in annum,  
expleat, sed magnam uniuerso populo copiam & ubertatem, in o-  
mne tempus, faciat, & si quando ( quod Deus nolit ) uis belli ur-  
geat, hostibus spem urbis capiendæ adimat: hisce nanque tem-  
poribus urbes non hostium uiribus, sed fame solent expugnari:  
non ne hoc diuinum planè fuit inuentum? quo luce clariùs de-  
monstratur easdem esse & sapientiæ, et copię ædes, sed ita tamen  
ut primæ, maximeque partes sapientiæ, secundæ rerum copię den-  
tur, & parandarum diuitiarum, opum, & rerum omnium af-  
fluentiæ eam esse certam uiam, quæ à uirtute nobis præmonstra-  
tur, & ciuitatum salutem, ac incolumitatem in studio sapientiæ,  
cuius comes est rerum omnium copia, consistere. Verum, quan-  
do rerum collatione, earum dignitas, & indignitas, pulchri-  
tudo, & deformitas magis dignoscitur, si quis, qui utranque  
uiderit, ueterem Academiæ formam, cum hac noua conferat:  
hac nihil augustius, nihil magnificentius, nihil pulchrius, il-  
B la ni-

la nihil turpius, nihil abiectius, nihil sordidius iudicabit, statimq̄ illi ueniet in mentem eorum omnium, qui olim ueterem illam Academiam ingrediebantur, huiusmodi uoces exaudiri solere. Quæ (maliam) est hæc Academia? quæ indignitas? quod ciuium Bononiensium dedecus? ædes nobilissimæ orbis terrarum Academiæ tam humiles? tam rusticæ, tam malè esse ædificatas? tam deformes, tam sordidas esse? At nunc ingredientibus admiratione, ac stupore pleni exclamant, ò pulchræ ædes, ò superbi postes? ò magnificentissimum opus? ò Bononiensium decus sempiternum? ò sapientes, ò fælices, ò diuini planè homines non ab urbe Roma, non aliunde terrarum huc missi sed ab alto cælo in hanc urbem delapsi quibus estis digni laudibus? quibus honoribus? non humanis, sed diuinis, non terrenis, sed cælestibus: nulla profectò ætas de uestris laudibus conticescet, uerè de uobis nunc dici potest.

Semper honos, nomenq̄ uestrum, laudesq̄ manebunt.  
Et de hoc præclarissimo Gymnasio Marcialis illud Epigramma potest decantari.

Barbara pyramidum fileat miracula Memphis,  
Assyrius iactet nec Babilona labor.

Sed quando ex personarum autoritate, & authoris dignitate, rei quoque autoritas dignitasq̄ additur, uideamus, qua dignitate, qua sint præditi autoritate, qui tanti operis authores, & profectores fuerunt. In quo suscipiendo simile quiddam illi factum uidetur, quod Iouem hominum regem, & Deorum patrem in orbe terrarum condendo, uel exornando, fecisse canunt poetæ: adhibuisse

buisse omnes Deos, iussisseq̄, ut singuli aliquam conferrent parte ad opus suum exornandum: tum Vulcanus attulit ignem, Mercurius eloquentiam, Minerva sapientiam, Apollo Medicinam, musicen, ac diuinationem, & alii deniq̄ alia munera detulerunt, à quorum ornatu Græcè νόστος est appellatus. Nam, cum primum de hoc opere faciundo agi ceptum est. Pius uerè PIVS PONT. MAX. summi DEI uicem in terris gerens iussit CAROLVM BORRHOMEVVM sororis suæ filium Bononiæ Legatum, PETRVVM DONATVM CÆSIVM Prolegatum, Senatum Bononiensem, Iurisconsultorum, Philosophorum, Scribarum, Sacerdotum Collegia, Publicanorum, Mercatorumq̄ societates aliquid omnes muneris ad tanti operis exædificationem, & ornamentum conferrent, magnamq̄, & ipse bonamq̄ partem primus attulit. Quod si Asiæ ciuitates templo Dianæ Ephesi ædificato tantum nominis, ac dignitatis attulerunt, ut inter septem miracula mundi sit connumeratum, si Athenæ Palladis nomine tantopere laudantur, si Apollo Delphos, si Bacchus Thebas insignes reddidere, quantum splendoris, quantum maiestatis nobilissimi ætatis nostræ philosophi, clarissimi Iurisconsulti, ciues optimi, mercatores ditissimi, senatores prudentissimi, sacerdotes castissimi, Antistites amplissimi, Summus deniq̄ ipse PIVS PONT. MAXIMVS huic Academiæ afferre debent? tantum profectò, quantum uix cuiusquam mens, & cogitatio capere potest. Itaque si quantum est præstantior persona dantis, & accipientis, tantò munus, quod datur, est præstantius. hoc nobis datum, iuuenos studiosi, uel uno personarum nomine omnem in se contineat

dignitatem, omnem habeat excellentiam necesse est, cum nullum sit dignitatis, nullum amplitudinis, nullum excellentiæ genus, nullum maiestatis, quod in tanti operis auctoribus, ac perfectioribus, et in iis, quorum causa factum est, non reperiatur. Non enim auaris mercatoribus, non sordidis sceleratoribus, ut olim Romæ celebres laniformes, non obscenis histrionibus, ut Theatrum Romanum a scriptoribus tantopere celebratum, est extructum hoc ædificium, sed studiosissimis, nobilissimis, ingenuè, ac liberaliter educatis adolescentibus, qui uirtutis amore capti affines, cognatos bona fortunæ quamplurima, parentes, & Patriam relinquunt, & in hanc urbem, ut in copiosissimum omnium scientiarum emporium concurrunt: hæ sunt sedes sapientissimis uiris omni doctrinarum genere ornatissimis paratæ: hic quid uerum, quid falsum, quid honestum, quid turpe, quid æquum, quid iniustum sit subtiliter disputatur, rerum omnium diuinarum, ac humanarum causæ perquiruntur, cæli motus monstrantur, astrorum rationes redduntur, de eloquentia sapientiæ coniuncta præcepta traduntur, suauis oratione animi iuuenum oblectantur, quod sit cuiusque officium docetur, quæ sit perfectæ, beatæque uitæ ostenditur, hic denique in terris cælestem uitam uiuere homines edocentur. Ex quo nemini dubium esse potest, quin & huius augusti operis auctorum, ac perfectorum nomine, & eorum, quorum causa, est extructum ratione, & rerum hic tractandarum dignitate hoc planè diuinum opus, diuino numine, sit factum: Iam uerò quo in loco, qua in urbis regione, Diuini boni, positum est augustissimum hoc Gymnasium? in ea nempe, quæ omnium est pulcherrima, om-

rium

nium frequentissima, omnibus accommodatissima, propè forum, propè Diuini Petronii templum, propè Prætorium, in luce Bononiæ, in omnium ciuium conspectu, in ipso urbis medio, ut quemadmodum uirtus in medio consistit, & cuiuscunque rei pars perfectissima medium est, et medius locus omnium honestissimus, cor in medio corpore membrum nobilissimum est, & uita reliquorum, sic, quando hic uirtus ipsa est habitatura, omnes uirtutis amatores sunt habituri domicilia, diuino quoque sit hoc prouisum consilio, ut locus uirtuti aptissimus, maximeque proprius magnificentissimis uirtutis ædibus a sapientissimis uiris deligeretur. Quanta uerò celeritate, Diuini immortales, quam breui temporis spatio est hoc opus extructum? est ex ædificatum? est exornatum? est in hanc, quam uidetis, amplissimam formam redactum? qui oculis id non uiderunt, uix credere possunt, quantum enim temporis in paranda ad ædificandum materia, in fabris conducendis, in feramentis curandis, poni solet, uix tantum ad totum hoc perficiendum opus, est positum, ut hoc arte non humana, sed diuina, non hominum, sed Deorum manibus factum uideatur: Hoc qui intuentur, magnopere admirantur, quia, quoniam modo hoc tam breui temporis spatio factum sit, intelligere non possunt: illud uerè hic dici potest. Dixit, & factum est. Quamobrem, studiosi iuuenes, doctores clarissimi, quantum PIO PONTIFICI MAXIMO, quantum CAROLO BORRHOMEO Legato, quantum PETRO CÆSIO Prolegato, quantum Senatui Populoque Bononiensi pro hoc tanto, tam repentino, tam augusto, tam diuturno, tam diuino beneficio debeamus, quibus illos laudibus,

quo



quo studio, qua obseruantia, qua pietate prosequi, colere, ac ob-  
seruare debeamus, facilius est uobis animo iudicare, quam mihi  
oratione explicare. Ego quidem sic statuo, si per nostram religio-  
nem liceat, uel uno hoc nomine templa illis esse erigenda, diuinos  
honores habendos, eos esse in numerum Deorum referendos: sed  
quando hoc, quod uelimus, non licet, id, quod licet, praestemus, il-  
lorum beneficium cognoscamus, cognitum libenter accipiamus,  
acceptum seruemus, seruatum grati animi memoria colamus, ac  
eo, dum licet, & ad quod decet, perfruamur, illis, quas possumus,  
gratias agamus, illis nos totos dedamus, illorum man-  
datis obediamus, uitam nostram ad illorum exem-  
plum componamus, quod si (ut spero, &  
opto) faciemus, quod sequimur,  
id, procul dubio, facile  
assequemur.



Ego Frater Vincentius Bononiensis Vicarius San-  
ctissimæ Inquisitionis, approbo praesentem ora-  
tionem dari impressioni ut catholicam.



B O N O N I A E,

Ex Typographia IOANNIS Rubrii, in Via  
S. Mammoli. M D L X I I I.